



EPITHALAMIA

IN CASTVM ET

FELIX CONIVGIUM ORNATIVIRI
PIETATE ET VIRTUTE PRÆSTANTIS, Dñ. IOHANNIS
VVEBERI, S. Scholæ VVeissenburgen-
sis collaboratoris, Sponsi:

ET PVDICISSIMÆ VIRGINIS CVNE-
GVNDÆ, HONESTI ET PRVDENTIS VIRI, LVCAE
Steccij, Senatoris Reipub. Svabacenæ,
Filiæ, sponsæ.

Nuptias celebrantium Svabaci. 3. Cal. Augusti
Anno Christi. 1593.

Scripta ab amicis.



Chronodisticha duo.

IVLIVS Vt Denos habVlt ter sI Dere soLes,
VVeber ConIVncta est SteCCla Læta tibi.

Ioh. Dor. verbi D. ap. VVeissen.
minister.

LVX AbDonIs aDest, sponsaLIa VINCLa Iohanni
VVebero neCtIt SCIPtas aCta IVgo.

M. Leon. Koeler. S. VV. R.

NORIBERGÆ

Excusa typis Norriianis.



VOTVM CONNVBIALE.

Iam noua Coniugij confirmata foedera nostri,
Omnipotens, æterne **DEVS**, rerumq; creator,
Autor & illius diuino numine præfens,
Nomine tu trino, virtute sed unus & idem,
Numen ades, uitæq; parens, hominumq; creator.
Et tu Nate **DEI** cælestis **CHRISTE** parentis
Sic hominis Fili, saluator & unice noster
Vnice noster ades, coniunctaq; foedera firma.
Virtutis tantæ tu Spiritus alme per illos
Emissus, qui noster ades Paracletus, & idem
Blandus & acceptus, nostrum tu dirige uotum,
Et mentes coniunge pares, iunctaq; calore
Redde tuo uiuas fidei, uirtutis, amoris.

Christo, Hemer Ratisb. Magister &
Not, Publ, F.



STATVA PENELOPES SPONSÆ

erec̄ta à

M. Leonharto Kœel ero, Rectore Scholæ
VVeiffenb.

Collocat Icarius statuam, pater optimus, alram,
Vt dulcis natæ dulcis imago foret.

Namq; ubi Penelope uariis est anxia curis,
Extimulata uiri, blando & amore patris,

Grataq; legitimi præfert consortia lecti,
Vincta caput uelo, signa pudenda dedit,

Natam, dum genitor, deuotam cernit amanti,
Dilectæ poni splendida signa, iubet:

Ara stat media, & medios interq; maritos,
Sisyphidenq; uirum, ac Icariumq; patrem.

Tristis hic affistit morosis tempora canis:
Ex vultu illius læta iuuenta nitet.

Composita æ uirgo castos demittit ocellos,
Conuersa in rubeum flore decente uirum,

Iccirco egregium secteris tu quoq; Sponsum
Alma uirago, patrem posthabeasq; tuum-

VE'SVS EPITHALAMII.

ET pius & longis mos, est laudabilis annis,
Fundere pro Sponsis vota precesq; nouis.

Vt sit coniugium felix, tædæq; fauentes:

Vt cum prole domus sit: sine lite, thorus.

Hunc ueterem morem Musis comitatus Apollo

Seruat & ad Cadmi concinit ipse thorum.

Quin pater ille Deum, lati lova conditor orbis,

Hunc colit & thalamo prospera fata canit.

In Paradisiacis dum formosissimus hortis

Primus homo Costam ducit habetq; suam:

Ergo tam veteres age tu quoq; suscipe ritus,

Atq; aliquid sponsis succine Musa nouis.

Disce tamen dignum seruire canendo decorum:

Vult longas noctes: vult breve carmen hymen.

Postq; res hominum stygius turbauerast autor,

Et tristis lapsu præcipitârât Adan:

Non solum mortale genus, sed quicquid ubiq;
 Vivebat, turpis perculit illa lues.
 Omnibus hinc ætas gravis & miseranda senectus:
 Omnibus hinc Lachæsis demetit atra caput:
 Ut taceam interea quam multis corpora morbis
 Mors rapiat iustum sæpius ante diem.
 Sed pater omnipotens, fato ne cuncta severo
 Corruerent, rarâ facta refecit ope.
 Nam quas connubij leges modò sanxerat autor,
 Has quoq; post lapsum mox iubet esse ratas.
 Ut sic quodq; suam servare propagine stirpem
 Possit & æternum continuare genus.
 Ergò licet cani recidant in fata parentes,
 Est tamen in natis spes super ampla domus.
 Atq; hos coniugij capiunt animantia fructus
 Omnia, quæ tellus, aura vel æquor habet,
 Sed longè nostro generi potiora ministrat
 Dona, maritali fœdere nexus amor.
 Nam duplici ratione vagum componimus ævum
 Nempe domi curas hæc ferat: illa foris.
 Ast ne fors oneri succumbat viribus impar,
 Si terat assiduas fœmina virve manus:
 Miscuit has operas Deus, & sociavit utraq;
 Virq; foris curet, nupta pudica domi.
 Est merces revehenda mari: sunt mœnia bello
 Quassanda: est sterilis bobus arandus ager.
 Curia vim mentis: mentemq; manumq; requirit,
 Seu privata labat, publica sive salus.
 Scilicet hæc teneris non sunt præstanda puellis
 Duraq; fœmineus non gerat arma chorus.
 Sed qui ferre gelu poterit duratus & æstum,
 Vir patriæ & Marti præsit, humumq; colat.
 Hinc acri virtute virum, solidisq; lacertis,
 Condidit æterni provida dextra Dei.
 Ut valeat tales patiens sufferre labores
 Proq; aris possit, proq; venire focis.

Iam porrò soboles lactis sibi postulat usum:
 Iam vestem capsæ : iam nova pensâ colus.
 Pabûla iam pecudes poscunt : alimenta ministri:
 Iam capiant fruges horrea, cella merum.
 Hæc obit & celeri nutu regit omnia coniux:
 Et quæ parta viro sunt, cavet, auget, amat.
 Hinc tenerum corpus, tum mollia membra puellæ,
 Firma sed in sobolem pectore flamma viget.
 Huic etiam pulcræ quoq; sunt sua munera frontis,
 Formoso cupidum quo trahat ore virum.
 Nec tamen hunc alijs invulgat corporis usum:
 Sola suum noscit : solus ut ille suam.
 Has igitur leges fixit natura maritis:
 Has duplices monstrat pagina sacra vices.
 Hæc benè si servant præcepta vicesq; Mariti,
 Tunc benè erit thalamis: tunc benè vita fluet.
 Tunc hilares cernent longum florere penates:
 Laurus ut æternæ frondis honore viret.
 Tunc nati plantarum oleæ, gravidæq; per ulmum
 Exemplum vitis uxor amica dabit.
 Ergò tuæ sorti quæ sors par, optime Sponse,
 Dum venit in thalamos Sponsa pudica tuos?
 Sponsa bono genitore : pia genitrice profecta:
 Ore ferens Helenam : Penelopenq; fide.
 Quæ tibi, dum curas foris, officiumq; ministras,
 Commissam socia temperet arte domum.
 Hæc faciet lætos soles: hæc una vicissim
 Et gratas noctes reddet amica tibi.
 Quid dicam de prole novâ : lectiq; iugalis
 Pignore? quæ generis sint nova fulcra tui.
 Sed breve carmen Hymen cum poscat : vivite Sponsi,
 Vivite concordés mente, fideq; pares :
 Vivite & optatos thalami decerpite fructus,
 Cunctaq; coniugij commoda ferte pñ.

M. Christoferus Cornbergius

Scholæ Schvobacen,

Moderator.

GAMELION AD AMICVM IOH. VVEB.

NE MPE erat in fatiS, P R I O R ut me natus in auris,
Legitimi fieres pars P R I O R una tori,

Vt magis annoſo tibi iunior, utq; marito

Vota darem celes, vota hymenæa darem.

Spero equidem, nactus Spartam, indulgentibus aſtris,

Non procul & thalami tempus abeſſe mei,

Sat vidi, quam fit miſerum, ſine compare vitæ

Vivere, ſat longo tempore ſolus eo.

Eheu quam infelix, quem nemo medullitus ardet,

Quem nemo, rectè viſitet unde, iuvat,

Qui nec habet, quâ cum curas iunxiſſe, preceſq;

Nec, bona cui tutò credere parta, queat.

Ergò mihi laudande venis, quod cælibe vitâ

Posthabitiâ, lecti iura verenda colis,

Quòq; bono genere exortam, veteriq; puellam

Dulcis, in amplexus quæ ſit itura tuos,

Quæ tibi ſit vitæ comes inſeparabilis V N A,

Sive parens fuerit, ſive noverca, dies,

Et me quis culpet, ſi munere ſunctus amici,

Vota ſeram ſponſis pauca, ſed apta, novis ?

R E S magè ſtat votis, quam opibus tellure remotis,

P L V S prece quam precio ſurgere teſta ſolent.

Cura prior veſtræ D O M I N I ſit gloria tædæ,

Gloria terrenis anteſerenda bonis,

Hic vobis, caſtâ prece, iuncto corde rogetur,

Illius unanimi voce canatur honos.

Dein alijs ad connubij, det C H R I S T V S, amorem

Cedat in exemplum paſſio veſtra bonum.

Vos inter iubeat flammas ardere iugales,

Nullus ut immiſſis has necet imber aquis;

Sæpius eximiâ ſiatis prole parentes,

Quæ faciat vobis dulcia, grata D E O.

Affundat pleno ſua munera Copia cornu,

Prevaleant Candor, Pax bona, Franca fides,

Summa mei voti ? S I C hîc vivatis, ut olim

In C H R I S T O vobis ſit ſuper aſtra locus.

Matthæus Engelhartus.

PRECATIO SPONSI.

GNate DEI, proprio redimis qui sanguine sponsam,
 Iustitiæ tribuens munera parta tuæ,
 Cum patre quiq; tuo pia sancis foedera tædæ,
 Præscipiens unâ uiuere carne duos,
 Atq; eadem mundi furias aduersus & orci
 Inuictâ, clemens, usq; tueris ope :
 Huc ades, huc placidas aduerte rogantibus aures,
 Exaudi nostras pro bonitate preces.
 Da nostrum cingant Pietas, pax, gaudia, candor,
 Hisq; Fides socio pectore cuncta, torum,
 Da socialis amor, da mutua gratia crescat,
 Da sudus nobis rideat axe polus,
 Da dulcis nostro nascatur sanguine proles,
 Ore tuus pleno cui celebretur honor.
 Exulet impietas, discordia, fraudq;, dolorq;,
 Exulet atra, serens semina litis, Eris,
 Et quod præterea tædis incommodat, absit
 Alitis offitio, Christe benigne, tui,
 Vt se Nephthalidæ quondam sacer addidit ales,
 Tartarei pellens tela minasq; Lupi.
 Quod si fortè caput nostrum (quod summe canebis
 IOVA, favore mero) scœua procella petat,
 Exemplo veterum monitis, tibi fidere soli
 Sit labor, & placido pectore ferre malum.
 Deniq; post fragilis curas & tædia vitæ,
 Astringeri intremus regna beata poli,
 Atq; tuas laudes animo celebremus & ore,
 Et tua dicamus carmine facta sacro.
 Hæc imo mecû CVNEG VNDIS corde precatur :
 CHRISTE uelis precibus pondus inesse pijs.

EIVSDEM EPIGRAMMATA DVO.

Turbator sancti matrimonij
 anathema sit.

TRUX PONTVS, classẽm rapidis qui supprimit undis ;
 Scœua sub infernâ sicca palude SITIS.
 Trux DIS est, cæco qui carcere corpora torquet ;
 Scœuus & infesto qui furit ore DRACO.

Trux

Trux, stygias mittit quæ manes, CYMBA, sub umbras,
Sæuus & aspectu tempora cana CHARON.

Sæuior at longè iuuenis connubia spernens,
Quam sunt, VNDA, SITIS, DIS, DRACO, CYM-
Mulier bona donum optimum. (BA, CHARON.

Grata, pudicitia quæ signum, SERTA, puellis:
Gratæ ieiunis ventribus usq; DAPES.

Grata Duci res est posita ARX in collibus altis:
Grata APIS ex herbis quæ uehit ore fauos.

Grata, canit lepidis Flaccus quam versibus, ODA:
Grataq; purpurei pocula plena MERI

Gratior at longè iuuenis connubia querens,
Ac sunt: SERTA, DAPES, ARX, APIS, ODA, MERUM.

PRECATIO ALIAEIVSDEM LOCO
Sponsæ modulata, 4. vocibus canenda.

I.

S H E X X ich bitt zum Ehestand mein /
Wolstu dein segen geben /
Laß den Aßmod weit von vns sein /
Verley vns langes Leben:
Das wir in Zucht vnd Ehren /
Vns mögen zsammen kehren /
Laß vnser Hertz allzeit /
Vstendig leben in freud.

II.

Wann aber trübsal kompt daher /
Nach deinem guten willen /
Herr vns gedult vnd trost bescher /
Dein Wort laß vns erfüllen:
All Vnglück von vns kehre /
Vns segen / mehr vnd uehre /
Nimb vns in deine Hand /
Vschere vns ein seligs end / Amen.